

tur, quia hoc pertinet ad majorem penetrationem, vel comprehensionem causæ. Et cum instatur, quia causa respicit illos in particulari, quia sic causat illos, distingo: respicit illos in particulari, quasi ipsa particularitas pertineat ad constitutionem quidditativam causæ, nego; quasi pertineat ad exercitium causandi, quia non potest causare illos nisi particularizatos, transeat. Ad cognoscendum autem causam, et quidditative, sufficit videre id quod formaliter pertinet ad rationem talis causæ in ratione causandi effectus, non id quod pertinet materialiter, et ex parte exercitii causandi.

XI. Ad fundamentum secundæ sententiæ, respondetur, quod ut videantur ideæ distincte, et prout una secernitur ab alia, sic necesse est etiam ferri in ideata in particulari, sine connotatione, et respectu ad illa non resultat hæc distinctio. Ad videndam autem ideam secundum entitatem suam, et quidditatem, sufficit videre ideatum in communi, seu rationem entis creati, quam respicit idea secundum communem rationem ideæ. Constat autem non omnes ideas videri distincte a quolibet beato, quia multas creaturas in particulari non vident: sicut ergo respectu eorum creaturarum, quas non vident, solum attinguntur ideæ quantum ad id quod entitatis divinæ in se habent, per ordinem vero ad creaturas quæ latent, in confuso, et in communi attinguntur, ita non repugnat videri ipsam essentiam divinam, et consequenter essentiam idearum, ut tenet se ex parte Dei non videndo aliquod idearum in particulari, sed secundum communem rationem entis creati, quod est ideatum a Deo, et sic neque ipsæ ideæ in particulari distinguuntur.

NON POSSUNT OMNES CREATURÆ VIDERI A VISIONE CREATA, NEC ID SEQUITUR EX VI VISIONIS EARUM IN DEO.

XII. Est expressa sententia D. Thomæ multis in locis non posse videri in Deo omnes creaturas posibles ab intellectu non comprehendente essentiam divinam, ut manifeste docet in hac quæstione art. viii, ubi inquit: « Quod ille intellectus potest in causa cognoscere omnes effectus, et omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. » Nullus autem intellectus creatus potest totaliter Deum comprehendere, nullus ergo intellectus creatus potest videndo Deum, cognoscere omnia quæ Deus facit, vel potest facere, idem docet in part. quæst. x, art. ii. Et in iii contra gent. c. lvi, concludit in fine quod non potest accidere, ut omnia cognoscantur per Deum sine comprehensione ipsius. Videnda est etiam tertia ratio ejusdem capituli, ubi ostendit S. Thomas, quod quia quantitas virtutis attenditur secundum ea in quæ potest talis virtus, idem est cognoscere omnia in quæ potest talis virtus, et comprehendere ipsam virtutem, et cum hæc virtus sit essentia divina per quam cognoscuntur creaturæ, idem est comprehendere virtutem divinam et comprehendere essentiam divinam. De quo etiam videri potest D. Thomas quæst. viii de verit. art. iv.

XIII. In hac ratione quam etiam in omnibus istis locis insinuat D. Thomas illud est observandum, quod loquitur sanctus doctor de cognitione creaturarum intra Deum, et ex vi visionis divinæ, non in proprio genere, et extra Verbum, nec determinat, an ex cognitione omnium creaturarum in suo proprii

genere sequeretur comprehensio divinæ essentiæ per locum extrinsecum, nec similiter determinat an possit dari talis cognitio omnium creaturarum extra Verbum, sed semper loquitur de cognitione rerum in Deo, et videndo, ac penetrando divinam essentiam. Secundo, D. Thomas non loquitur solum de cognitione omnium effectuum in Deo, sed etiam de cognitione omnium rationum talium effectuum, stat enim bene cognoscere aliquem effectum in se, et cognoscere omnes ejus rationes, scilicet omnes respectus ad suas causas, et fines, et circumstantias, et alias plures combinationes, quas potest res aliqua habere, sive secundum potentiam obedientialem in ordine ad primam causam, sive secundum naturalem in ordine ad causas creatas, et ita cognoscere illos secundum omnes habitudines secundum quas potest Deus in illis operari, sive per se immediate, sive mediantibus aliis causis, sive secundum potentiam naturalem, sive obedientialem. Denique, D. Thomas non immediate probat ex cognitione omnium possibilium comprehensionem divinæ scientiæ, sed comprehensionem causæ, talium possibilium in ipsa formalitate, et ratione causæ, hoc enim immediate, et per se sequitur ex cognitione omnium effectuum in causa, et ex vi penetrationis causæ, sic enim tota quantitas virtutis causæ adæquatur, et nihil de illa latet videntem tam entitative in se, quia intuitive cognoscitur et quidditative, quam comparative ad effectus, quia omnes exhauriuntur, ergo in ipsa ratione causæ non restat aliquid quod possit cognosci posita tali visione.

XIV. Ex his ergo desumitur probatio et vis consequentiæ D. Thomæ quam proponit locis citatis, et specialiter potest videri in parte, quæst. x, art. ii. Quælibet virtus

causativa cognoscitur per cognitionem eorum in quæ potest, ergo si videntur omnia, quæ potest Deus facere, attingitur totum posse divinæ virtutis, et tota ejus quantitas, ergo comprehenditur divina virtus ut virtus causativa est, ergo comprehenditur divina essentia. Istæ sint consequentiæ quas facit S. Thomas.

XV. Primum antecedens relinquatur a Divo Thoma tamquam per se notum; posset tamen aliquis in illo hæerere, et dicere, quod virtus quæ specificatur, et pendet in sui constitutione, et formali specificatione ab objecto, et a rebus ipsis in quas potest, cognoscitur, et adæquatur per cognitionem omnium, in quæ potest talis virtus, non tamen virtus absoluta, et independens qualis est divina, hæc enim cum non accipiat specificationem, et constitutionem sui ex objecto, non cognoscitur, nec adæquatur per cognitionem omnium, quæ potest. Hæc tamen evasio ex duplici parte præcluditur. Primo, quia ut jam monuimus, nos non loquimur de cognitione effectuum nisi in ipso Deo, et per penetrationem virtutis, et potentiæ ejus. Unde licet Deus non dependeat ab effectibus faciendis, tamen quia illi effectus non cognoscuntur extra Deum, sed ex penetratione ipsius virtutis divinæ, idem est cognoscere virtutem Dei per cognitionem omnium, in quæ potest atque cognoscere ipsam entitatem et virtutem Dei, ut est potens in tales creaturas. Non est ergo necesse quod specificetur, aut dependeat ab objecto, seu effecto, sed quod dependeat a se, seu identificetur sibi, si quidem non cognoscitur ipse effectus, nisi præcognoscendo ipsam virtutem Dei, et incipiendo ab illa, ergo ad hoc nihil conducit dependentia ab effecto, vel a specificativo extrinseco, si quidem totum quod

cognoscitur de effectu est in penetratione causæ, et magis attingendo ipsam causam : ergo certa est illa propositio quod virtus cognoscitur per cognitionem eorum, in quæ potest, quando ista in quæ potest, cognoscuntur in penetratione ipsius causæ.

XVI. Quare de omni virtute sive eminenti, sive dependenti a suo objecto verum est, quod cognoscitur per cognitionem eorum in quæ potest, quando talis cognitio fit per majorem penetrationem causæ, et si taliter penetratur causa quod omnia in quæ potest attinguntur, tota ipsa virtus exhauritur. Et ratio est, quia virtus aliqua non potest cognosci, nisi vel quantum ad absolutam entitatem, ut est in se res quædam, quo pacto in Deo cognoscere virtutem non est aliud quam cognoscere ipsam essentiam divinam ut est entitas absoluta in se, vel potest cognosci comparative respectu eorum in quæ potest, quod est unico verbo dicere, quod virtus aliqua potest considerari, vel subjective, vel objective. Primum non sufficit, quia tunc non discernitur id quod est proprium, et formale virtutis, sed id quod commune, et identicum cum aliis attributis, et perfectionibus, et sic solum cognoscitur id quod entitativum est, et commune omnibus attributis in confuso, non id quod proprium, et peculiare est talis potentiæ, et virtutis, nam ut hoc discernatur, et cognoscatur perfectio propria potentiæ in quantum potentia est, oportet quod cognoscatur ejus eminentia, et potestas supra res creatas, quæ est peculiaris perfectio potentiæ inter reliqua attributa, aliquid enim convenit per potentiam Deo, seu per essentiam suam ut est potentia, quod non convenit per immensitatem, et æternitatem, etc. Ergo si cognoscitur distincte, et non solum in confuso po-

tentia Dei, oportet quod non solum cognoscatur, ut est quædam entitas divina absolute, sed comparative ad effectus supra quos habet eminentiam. Si dicatur secundum, manifestum est, quod tanto perfectius cognosceretur illa virtus, quanto plus penetrantur in ipsa virtute effectus, in quos potest, si quidem non in alio consistit propria ratio virtutis comparative accepta ad effectus, quam in ipsa comparatione, et eminentia qua se habet erga illos, et non solum ad se. Ergo si penetrando virtutem, exhauritur totum quod potest talis virtus, nihil restat cognoscendum in hac linea virtutis comparative acceptæ, quia nulla alia comparatio, et communicabilitas ejus ad effectus cognoscenda relinquatur, ergo si propria ratio virtutis ut virtus est, et ut distinguitur ab attributis, quæ non explicant hanc peculiarem rationem consistit in illa eminentia comparative se habente ad creaturas, si exhauritur omnis comparatio istius eminentiæ in ordine ad suos effectus, exhauritur, et comprehenditur propria, et formalis ratio virtutis divinæ in eo, in quo formaliter virtus est, et hoc solum intendit ratio Divi Thomæ.

XVII. Et confirmatur, quia Deus non potest plus cognoscere de illa virtute in ratione virtutis, quam ille intellectus, qui sic penetrat, et cognoscit omnia in visione talis virtutis, si quidem potest illam diffinire, et determinare assignando omnia, in quæ potest, et ultra quod non potest : ergo comprehendit illam. Consequentia patet, nam cognitio unius potentiæ, quæ omnes ejus terminos complectitur, et attingit, ita quod ipse Deus non potest plus de illis terminis videre circa quos est virtus illa seu potentia, non potest amplius exigere, ut sit comprehensiva in formali ratione potentiæ, et ut comparative se habet ad effec-

tus, nam si exigere posset amplius, utique id attingeret Deus, si ergo Deus non plus attingit, comprehensio non plus exigit. Antecedens autem probatur, quia si Deus aliquid amplius cognosceret de illa potentia, falso cognosceret : ergo non potest amplius cognoscere. Antecedens patet, quia si ille intellectus creatus cognoscit omnia, scilicet omnes effectus, et omnes rationes effectuum, si ultra totam istam collectionem Deus aliquid posset cognoscere, cognosceret impossibile, quia ultra omnem collectionem possibilium non restat nisi impossibile, ergo quidquid ultra Deus cognoscit, cognoscit ut impossibile, et consequenter non ut objectum omnipotentiae, ergo sistendo intra limites objecti potentiæ, seu rei possibilis, non potest Deus amplius cognoscere, quam ille intellectus creatus, qui omnes effectus videt in penetratione causæ : ergo comprehendit causam in formalitate, et propria ratione causæ.

XVIII. Ex hoc vero sequitur alia consequentia facta, quod si comprehendit causam, seu virtutem in ratione causæ, etiam comprehendit Dei essentiam, quia ratio virtutis est ratio ipsa activitatis : ergo idem est comprehendere virtutem Dei in ratione virtutis, et cognoscere activitatem talis virtutis, ergo et actualitatem ejus, quia actualitas est fundamentum, et radix activitatis, illa autem actualitas virtutis est actus purus, si quidem non est aliquid creatum, ergo idem est comprehendere vim causæ, in quantum virtus est comparata ad effectum, atque comprehendere essentiam Dei, et perfectionem, quæ est actus purus, nam in Deo ipsa ratio virtutis, ut virtus est, et ut comparabilis ad effectus est perfectio in ipso Deo existens, quia non se habet ad objecta dependenter, sed eminenter, non

respective, sed potestative. Unde si virtus creata est perfectio etiamsi specificetur ab objecto, et ab illo dependeat, quanto magis in eo erit perfectio etiam in quantum se habet ad objecta, quia non specificatur, nec dependet ab illis, sed eminenter se habet erga illa, et facit illa dependere a se, licet nos illam eminentiam concipere non possimus nisi per modum relationis, et respectus rationis. Qui autem videndo Deum cognoscit creaturas, cognoscit illam comparationem non ut respectus rationis est, sed ut eminentialis comparatio, et ordo ad effectus. Unde videndo omnes effectus in Deo, exhaurit omnem eminentialem comparationem virtutis divinæ, quod est omni modo cognoscibilitatis, illam eminentiam attingere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

XIX. Primo, objicies contra hunc discursum, quod illo non probetur comprehensio divinæ virtutis ex eo præcise, quod videantur omnia possible in Deo. Nam primo poterunt cognosci omnia possible quantum ad suam essentiam, et quidditatem, non quantum existentiam respectu futurorum, quia hæc dependet a libera voluntate Dei. Secundo, poterunt cognosci secundum substantiam, et accidentia, et existentiam, sed non secundum omnes modos, et rationes effectuum. Tertio, possunt cognosci non tanta claritate, et intensione, sicut Deus cognoscit, et sic non erit comprehensiva cognitio Dei, quia hæc postulat summam cognitionem Dei intensivam, et extensivam, ita quod in cognoscibilitate, et claritate adæquetur illi.

XX. Ad primum respondetur, quoad ad comprehensionem Dei

sufficit cognitio omnium possibilium, et ipsorum existentiae, ut possibilis: nam etiam existentia unum est ex possibilibus, nec requiritur per se loquendo, quod cognoscatur existentia effectuum ut in exercitio, ut patet manifeste, quia si Deus nihil decrevisset producere, suam potentiam comprehenderet sicut modo, et tamen non cognosceret existentiam aliquam creaturæ in exercitio, sed solum ut possibilem, sufficit ergo quod sit cognitio ita efficax, quod videat quidditates effectuum, et existentias ut possibles, ita quod si de facto producantur a Deo etiam videbit illas ut exercitas, seu in re positas, quia ad hoc non requiritur majus lumen, sed solum ex parte termini producti ipsa positio existentiae, ut patet in futuris necessariis, quæ cognoscuntur ab Angelo ut futura, seu possible, et ut de facto existentia sine variatione luminis.

XXI. Ad secundum, dicitur quod est implicatio in terminis dicere, quod cognoscuntur omnia possible, et non cognoscuntur omnes modi et rationes effectuum, cum etiam isti modi, et rationes sint possibles, et consequenter, qui collectionem omnium possibilium attingit, etiam illos cognoscit, et sic non currit casus, ut bene advertit Cajetanus hic art. viii, §. Ad evidentiam.

XXII. Ad tertium, respondetur quod illa cognitio, quæ omnem possibilem collectionem exhaurit, non potest non esse infinite intensa, ut Cajetanus dixit loco citato, quia si penetrat, et exhaurit omnia, quæ ex parte objecti cognoscibilia sunt, nihil relinquitur tam ex parte rei cognitæ, quam modi cognoscendi, quod correspondeat majori intensio- ni cognitionis, quia quantumcumque crescat intensio cognitionis non potest plus, vel melius cognoscere, quam attingendo omnia possible etiam quoad modos, et ra-

tiones, et universaliter quidquid in tota collectione possibilium includitur: ergo illa intensio cognitionis, quæ sufficit omnem rationem, et collectionem possibilium exhaurire, sufficiet ad comprehensionem divinæ virtutis, siquidem nihil amplius, nec melius potest Deus attingere de tali virtute, et de ejus effectibus, si quidem quidquid posset Deus amplius cognoscere, vel ex parte modi, vel ex parte rei cognitæ, totum in illa collectione omnium possibilium includitur.

XXIII. Dices: adhuc major intensio dabitur in Deo ex parte cognoscentis, licet non ex parte rei cognitæ, quia majori attentione, et conatu attinget illa possible, quam intellectus creatus, quia creato et finito modo attentionem habebit. Sed contra est, quia ex parte rei cognitæ, et ex parte objecti non potest crescere illa intensio cognitionis, si quidem exhaurit ex parte objecti quidquid potest correspondere cuiusque cognitionis quantumcumque intensæ, parum refert, quod ex parte cognoscentis sit major, vel minor conatus, vel attentio, quia comprehensio rei non consistit in attentione, sed in inadæquatione ad totam cognoscibilitatem objecti. Unde si totum quod in objecto cognoscibile est non latet videntem, vera est comprehensio, quidquid sit de conatu, et intensione ex parte cognoscentis; constat enim quod duo Angeli superiores perfectissime comprehendunt formicam, licet ille qui major est, et perfectioris intellectus majori intensione, et conatu ipsam comprehendat. Veritas tamen est, quod qui intelligit omnia possible, ita quod nihil lateat de illis, exigit summum, et perfectissimum unum scilicet divinum, et consequenter summam intensionem habebit illa visio etiam ex parte cognoscentis.

XXIV. Secundo, objicies non bene colligi ex adæquata cognitione totius termini alicujus potentiae seu virtutis comprehensionem ejus, quia beatus videt clare Verbum divinum, ut terminum adæquatum virtutis generativæ, et Spiritum Sanctum, ut terminum adæquatum virtutis spirativæ, si quidem non possunt illæ virtutes alios terminos producere, et tamen non comprehendit virtutem generativam Patris, vel spirativam: ergo ex eo quod videatur adæquatus terminus omnipotentiae, scilicet tota collectio possibilium non sequitur comprehensio totius potentiae. Respondetur, quod ad comprehendendum aliquam virtutem non sufficit quomodocumque attingere, et cognoscere terminum adæquatum ejus, sed oportet quod comprehendatur talis terminus secundum omnes modos et rationes, quæ ad ipsum pertinent. Beatus autem licet videat Filium, et Spiritum Sanctum, non tamen videt ipsos comprehensive penetrando omnem eminentiam, et omnes rationes, et cognoscibilitatem eorum. Quod manifestissimum est, quia Filius accipit ex vi generationis naturam divinam, et rationem imaginis expressivam Dei, et omnium creaturarum; beatus autem videns Personam Filii non comprehendit ejus naturam divinam, neque omnes istas creaturarum expressiones, et sic non mirum, quod non comprehendat virtutem generativam, cum non comprehendat terminum ejus, licet illum quidditative cognoscat.

XXV. Tertio, potest fortius instari contra dicta ex alio capite (quæ enim objecta sunt procedunt contra discursum factum a Divo Thoma.) Primo, quia ex cognitione omnium possibilium in se ipsis, et extra Verbum non sequitur comprehensio Dei: ergo neque ex cognitione om-

nium possibilium in Verbo. Antecedens admittitur a Cajetano in præsentis articulo viii, §. Ad evidentiam. Et ratio est clara, quia visio omnium possibilium extra Verbum non fit videndo ipsum Deum, si quidem extra illum videntur: ergo multo minus comprehendendo, visis enim omnibus creaturis, solum videtur aliquid finitæ, et limitatæ cognoscibilitatis: unde restat infinita distantia ad cognoscibilitatem infinitam ipsius Dei. Et ita Div. Thomas iii: contra gent. capit. lvi, in fine, dicit: « Quod majus est videre Deum quoad ea quæ sunt in ipso formaliter, quam videre omnes effectus possibles in se ipsis, et multo perfectiorem esse illam cognitionem quam istam. » Si autem visio omnium possibilium esset comprehensio Dei, nulla perfectior cognitio daretur quam illa. Consequentia vero probatur, quia visis omnibus possibilibus in se ipsis, etiam videtur omnis terminus divinæ omnipotentiae videndo omnia, quæ potest Deus producere, ita quod non restat aliquid ulterius cognoscendum ex parte termini, ergo si ex cognitione omnium possibilium in causa inferimus comprehensionem virtutis, quia videntur omnia in quæ potest talis virtus, idem sequitur si videantur ista omnia in se ipsis in proprio genere.

XXVI. Secundo, instatur non sequi comprehensionem divinæ essentiae etiam visione omnium possibilium in ipsa essentia divina. Tum quia anima Christi videt omnia, quæ Deus videt scientia visionis in Verbo, ut docet Sanctus Thomas iii p. quæst. x, artic. ii. Et tamen non comprehendit ipsam scientiam visionis, ergo neque ex eo quod videat omnia possible, sequitur quod comprehendat omnipotentiam Dei, et scientiam simplicis intelligentiæ. Tum etiam quia visio omnium cre-